

in loco, & tollere lapidem suis manibus, sufficientia erant ad obtinenda ingratorum ora, qui testes signi facti erant. Poterat Dominus eadem voce lapidem tollere, & mortuum a sepulchro extrahere, tamen sic ordinat, & disponit, ut Iudaei manibus suis lapides tollant, ad miraculique circumstantias quodammodo operentur, ut ex ipso opere impenso, sudore, ac labore suo multum afficiantur ad miraculum, pro illoque defendendo stent, & pugnent. Tenaciter fingitur animus circa illam rem, in qua aliquid sui laboris videt; ideo mandat Iudaeis, tollite lapidem, & vincula cadaueris soluere, ut exinde magno affectu ad miraculum rapiantur, ut pro gloria Dei illud publicent, diuulgent, ac testificentur. Vide tom. 3. cap. 35. q. 25. n. 170.

Magno affectu rapitur homo circa id, quod est sui laboris.

166. August.

Tertio. D. August. serm. 104. de tempore: Quid dicemus? ait, nunquid lapidem Dominus a monumento praecepto remouere non poterat, qui inferni claustra propria virtute remouit? Sed quod ab hominibus fieri poterat, homines facere praecepit, quod autem diuinae virtutis erat, sua potentia demonstrauit. Lapidem enim a monumento reuocare humanae virtutis est; animam vero ab inferno reuocare, solius diuinae potentiae est. Dominus non vult omnia per se ipsum praestare, sed etiam aliqua aliis facienda relinquit; defunctum a mortis tenebris euocare, hoc solius est diuinae potestatis, hoc per seipsum Iesus exhibet. At vero lapidem tollere, ligaturas soluere, hoc humanae erat potestatis, & bene poterat per homines executioni mandari; ideo hoc hominibus committit, ut illud per se exhibeant.

Vnus non omnia faciat, alijs relinquit aliqua.

167. Origenes.

Quarto. Origenes in Ioan. homil. Possumus ne dicere, ait, lapidem quidem eum, qui spelunca positus erat, a Iesu ipso tractari non potuisse: eum autem, qui putei ostio impositus erat, Iacob sumere licuisse, atque detrudere a putei ostio, ut Laban eius auunculi oues aquarentur? Et debuisse Iacob ad putei quidem ostium accedere, Iesum autem stare extra speluncam? Cum Iacob peregrinus existeret iuxta puteum clausum, ac agnouisset Rachellem pascentem greges patris sui Labani: Amouit lapidem, quo puteus claudebatur, Gen. 29. num. 10. Cur ergo Iacob libenter lapidem admouet, ut greges Rachelis adquaret: Iesus autem maxime cauet lapidem sepulchri tollere, ut amicum Lazarum suscitet in vitam? In remouendo lapide a puteo, magnum obsequium, ac prouentus suorum consanguineorum representabantur Iacob, & ideo minime detractat per seipsum illud officium praestare. In sepulchro autem Lazari exprimebatur peccatum primorum parentum, quod mortem intulit, & filiis monumentum aperuit. Vbi autem peccati figura representabatur, inde Iesus attingere refugit, ut nos doceret peccati venenum adeo pestilens esse, ut merito quis ab eius umbra fugiat, & caueat.

Gen. 29.

Peccati venenum, eius umbra fugienda.

168. Ambros.

Quinto. D. Ambrosius lib. de fide Resurrect. Vt oculis suis crederent, ait, qui credere mente nolebant, remouent lapidem, vident cadauer, fetorem sentiunt, institas rumpunt, non possunt negare defunctum, quem aspiciunt resurgentem. Iudaei mente nolebant credere, mandat Dominus tollere lapidem, ut ipsi videant cadauer iacens, naribus experiantur fetorem, ac manibus falces soluant, ipsique accipiant e tumulo surgentem, ut quem mente nolebant credere, oculis, ac sensibus credere compellantur, diuinamque potentiam agnoscere, quae Lazaro e mortuo in vitam euocabat.

Rerum experientia compellantur potestatem agnoscere.

Sexto. D. Ambros. lib. 2. de Pœnitent. cap. 7. Poterat, ait, tacita vi operationis occulte transferre saxum sepulchri, sed hominibus iussit, ut remouerent lapidem, in typo quod nobis donaret, ut leuaremus delictorum onera, moles quasdam rerum. Nostrum est onera remouere. Poterat Dominus suo diuino impulsu lapidem remouere, quod forte inseruieret ad ostentationem miraculi, tamen a magnitudine signi vult tantisper detrahare, & hominibus mandat, tollite lapidem, in typo quod nobis donaret, ut leuaremus delictorum onera: homines constituerat praelatos, eosque hac occasione admonet, illos debere subditorum onera sustinere, ac leuare. Non enim Episcopus, ac Praelatus creatur, ut sibi indulgeat, sed ut inferiorum sustineat onera, ac ab omni grauamine eos eximat. Nostrum est onera remouere.

169. Ambros.

Praelati eleuent onera subditorum.

170. Basil. Seleuc.

Septimo. D. Basil. Seleuc. orat. 41. Qui corruptum animauit, ait, poterat multo magis sua voce lapidem elocare: poterat vinculum manibus, & impedimentum, qui mortuum voce sola iussit ambulare, multo facilius lapidem elocare, ac etiam absens hoc facere: cur ergo non fecit? Vt eos miraculi testes haberet: neque quod olim de caeco dicerent: Hic est, hic non est. Valde procliuè humanum ingenium ad aliorum illustrata facta abneganda; hinc est, quod visum restitutum caeco nato, mille ambages fabricarunt, dicentes: Hic est, hic non est, Ioan. 9. Ideo eis mandat tollere lapidem, ut ipsimet Lazarum mortuum, fetentem, ac resurgentem videant, ut omnis ambigendi occasio amputetur; neque opinarentur alium loco Lazari esse suppositum; multa solent homines machinari ad neganda beneficia, ac aliorum illustrata facta.

Homines mille faciunt ambages ad neganda beneficia. Ioan. 9.

171.

De infelicitate nullus dubitat, de faustu omittit ennuia.

Octaudo. Iuxta Sanctos Patres citatos in limine quaestionis mandat Christus Iudaeis tollere lapidem, ut ipsi suis propriis oculis videant Lazarum mortuum iacentem, fetidum, ac resurgentem, & nemo illud negare audeat; at vero ut credatur, quod Lazarus malum odorem ex se exhalabat, abundans est Marthae testimonium: Iam fetet, quatruiduanus est enim. Sic est peruersum hominum ingenium, ut facile omnes credant in Lazaro malum odorem, ac de ipso e morte sublato, ac in vitam restituto, magna futura est controuersia, & dubitatio. Nam hoc ad felicitatis gloriam spectabat, illud ad miseriam cumulum pertinebat, pro miseria vna sufficit mulier, pro felicitate vero multi, & magnis circumstantiis requiruntur testes.

172. Ioan. 20.

Thomas morti assentitur, resurrectioni repugnat.

Postquam Dominus deuicta morte apparuit reuiuus suis discipulis; qui dixerunt Thomae, vidimus Dominum. Quibus ipse respondet: Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius non credam, Ioan. 20. n. 25. D. Thomas pro certo habuit Dominum Iesum mortuum, & crucifixum fuisse, & tamen ipse eum non vidit pendentem in ligno. Deinde ait: Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum. Si ipse Dominum non vidit, vnde cognouit, quod habeat signa vulnerum in manibus, & latere? Recte respondet Barradas ex testimonio nempe aliorum: Si ergo ex discipulis affirmantibus credidit Domini mortem, ac signa clauorum, cur etiam ex eorum assertionem non assentitur ipsum esse mortis triumphatorem? De hominum more de ignominia mortis, ac eius signis non ambigit Thomas, sed facile acquiescit; de gloria vero resurrectionis mens eius refugit, & illam minime capit:

Barrad.

capit: & quibus infausta credidit, eisdem in felicitatis gloria minime annuit, sed vehementer mens eius reilit, ne assensum praebet.

173. Luc. 1.

Narrans D. Lucas cap. 2. num. 21. Christi circumcissionem, ait: Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen eius Iesus. Vbi Euangelista Christi circumcissionem expressis verbis non explicat, non enim ait circumcisus est, sed circumcissionem supponit, ut cum multis Doctoribus notat tom. 1. cap. 3. q. 4. n. 16. & tamen ei impositum nomen Iesus aperte demonstrat: Vocatum est nomen eius Iesus. Si nomen Iesus manifeste declarat, cur etiam circumcissionem expressè non commemorat? Circumcisio humilitatem, & abiectionem dicit, formam peccatorum importat; Sacratissimum Iesus nomen omnem celsitudinis apicem denotat; quae humilia sunt; fat est leuiter insinuare, ut credantur, quae verò excelsa, multis sunt exprimenda, ut facta reputentur. Ideo humilitatem circumcissionis sufficiens fuit insinuari ab Euangelista, celsitudinem vero nominis Iesus necesse fuit declarare. Vide supra cap. 18. num. 99. tom. 1. lib. 3. cap. 4. quaest. 21. num. 87. 88. & saepe variis in locis.

Humilitas insinuatur, celsitudo praedicanda, ut credatur.

QUESTIO XX.

Quare Martha fratris cadauer dicit fetidum cum alias odoriferum probari possit?

174. Origenes. Consanguinei impediunt bona.

NON innotatum dimittam, quod hic bene notauit Origenes homil. 28. in Ioan. Vt lapis, ait, spelunca impositus tardius tolleretur, foror defuncti fecit, quae veluti his, quibus iusserat Iesus dicens, Tollite lapidem, obstitit, cum dixisset: Iam fetet, quatruiduanus enim est. Propinqui, ac consanguinei multas moras neccunt, magnaque nostro leuamini impedimenta opponunt, ne a nostra miseria fableuemur; Vnus est Iesus, qui moras rumpit, & in nostram salutem currit.

175. Chrysol.

Respondet primo ad quaestionem D. Chrysol. logus serm. 65. Dicit ei Martha, ait, iam fetet; quatruiduanus est enim. Dicit et tempus, ut sciant, quia auctor est temporum, cui tempora nulla praescribunt: Iam fetet, quatruiduanus est. Dicendo sic exaggerat desperationem, ut qui adsunt, videant, quia Deus est. Martha ex impulsu Spiritus sancti sic exaggerat astantium desperationem, ut vita concessa ex manu Dei data intelligatur, ut qui adsunt, videant, quia Deus est. Et bene qui toto quattiduo a vitae munere cessauit, solum ex Dei manu potest habere vitam, ut moraliter dicamus, qui vita, ac salutis operibus incumbit, si ab eis inerte cessat, vacuusque est, ita salus eius est desperata, ut iterum vigorem reassumat, vitæque operibus reddatur idoneus, ut hoc a sola Dei manu sperari possit. Et bene dicitur: Quod hæc Lazari infirmitas non est ad mortem, sed pro gloria Dei, quia qui bonotum operum talem iacturam fecit, ut ad pristinam gratiam restituitur, maxime gloriam diuinæ maiestatis ostentat, illiusque potentiam declarat.

176. Rupertus.

Secundò. Rupertus lib. 5. in Gen. cap. 9. Lazarus, ait, eadem dormitione sua, vel quatruiduana sepultura typum gerit peccatoris, iam consuetudine nequitiae inueterat, iamque mala opinione fetentis.

Martha amiserat iam omnem spem restorationis vitae Lazari, representabatur in ipso peccator consuetudine nequitiae inueteratus, suæ opinionis iactura, foetidaeque infamiae malo deploratus, ut reuocetur in vitam, res est communem prodigiorum mensuram excedens, qua maxime Dei gloria declaratur; vnde de hac Lazari infirmitate ait Christus: non est ad mortem, sed pro gloria Dei.

Ex mala consuetudine nequitiae inueteratus, iamque mala opinione fetentis.

Tertio. Et magna est difficultas, & iam proprius ad quaestionem. Quomodo fieri posset, ut corpus illud Lazari fetorem exhalasset: Nam Iudaei solebant mortuos suos optimis aromatibus perfundere, quibus a corruptione, & consequenter a fetore praeserbantur, ut ex Herodoto, Diodoro, & aliis auctoribus probat Pereira tom. 4. in Gen. disp. 1. Alexander Neapolita. lib. 3. Genial. dier. cap. 2. & Cassian. collat. 15. cap. 3. & aperte hoc significat Ioan. cap. 19. num. 40. Acciperunt ergo corpus Iesus, & ligauerunt illud linteis, cum aromatibus, sicut mos est Iudaeis sepelire. Et Christus de Magdalena dixit: Mittens hæc vnguentum hoc in corpus meum ad splendendum me fecit; Matth. 26. n. 12. Vbi Christus Dominus ex communi usu, ac consuetudine vngendi mortuos extollit factum Magdalena, ac a mutmuratione excusat, ut docent Iansenius, Maldonat. Salmeiron, Barradas, & alij; & tam pretiosa erant huiusmodi aromata, ut dicatur a Ioan. 12. num. 3. Domus impleta est odore vnguenti. Maria autem, & Martha erant personae nobiles, & illustres, ut supra dixi exposui. num. 70. Ergo hanc communem consuetudinem vngendi cadauer fratris retinuerunt, sicut & illud fasciis, ac iustis ligauerunt.

177.

Pereira. Alexander. Cassian. Ioan. 19.

Martha. 6.

Iansen. Maldon. Salmeiron. Barradas. Ioan. 12.

Ad hanc magnam difficultatem, quam nullus interpretum hoc loco attingit, dico ad literam textus, quod sanctæ illæ sorores ex communi usu corpus fratris vixerunt; tamen alta Dei prouidentia dispositum est, ut antidota illa cadauer a corruptione, ac fetore non prohiberent, ut ita magis pateret euidencia, ac maiestas miraculi: Corpus illud malum dabat odorem, nam ut ait Albertus Magn. Nisi corpus illud feteret, Martha hoc de illo publicè non assereret; & aliunde corpus a communi munere non existimo defraudatum, ergo superna dispositio ibi interuenit pro maiori gloria sua.

178. Solutio litteralis.

Alb. Maga.

Moraliter dico etiam. Corpus illud vnguentis erat delibutum, & aliunde fieri poterat, quod bonum dabat odorem, tamen erat corpus mortuum, & iacens in sepulchro, inde fetidum, ac corruptum existimatur. Cum enim quis cadit, ac in foueam miseræ, & aduersæ fortunæ labitur, quamuis alias bonum praebet operum odorem, ab omnibus fetidus, incompositus, ac aspectu, & visu indignus iudicatur, ab omnibus est in contemptu, & conculcatione. De Perlarum imperio ait Dan. 8. n. 10. Et magnificentum est usque ad fortitudinem Cæli: & deiecit de fortitudine, & de stellis, & conculcauit eas. Cum enim eiecisset a suo regni culmine alios reges, eosque conculcauit, in eosque omni contumelia insultauit.

179. Dilapsus a suo honore contemnitur.

Daniel. 8.

A Lazaro non recedamus. Ait Martha: Domine iam fetet, quatruiduanus est enim. Lazarus (et si pius, & bonus) tamen vlt est commune apud Patres significat peccatorem, hominemque ex iustitia in multa crimina dilapsum, pro quo magno mysterio quatuor dies Lazaro conueniunt, ut commentatur D. Augustin. tract. 49. De quatuor autem diebus multa dici possunt. Est autem vnus dies mortis, quem homo trahit de mortis propagine, (id

180.

August.

(id est, de originali peccato) sed & legem naturalem transgreduntur homines, ecce alter dies mortis. Lex etiam scripta data est diuinitus per Moysen, & ipsa continentur: Ecce tertium diem mortis. Venit Euangelium, & ipsum transgreduntur homines, ecce quartus dies mortis, etiam ad tales excitandos, Dominus non designatur accedere. Mystice quatuor illi dies significantur quatuor transgressiones. Prima die denotatur violatio iustitiæ originalis ex communi originali peccato. Secunda die significatur transgressio legis naturalis. Tertia die innuitur violatio legis Moisaicæ. Quarta die adumbratur transgressio legis Euangelicæ. Tres primi dies mortis, ex peccato originali, ex violatione legis naturalis, & scriptæ in typo Lazaro imputari possunt. At verò quartus dies mortis ex transgressione legis Euangelicæ, videtur quod non possit adaptari Lazaro: tum quia ipse cum fororibus præcoci fide Euangelio credidit: tum quia quando hæc gesta sunt, pro tunc adhuc Euangelium non erat ritè promulgatum, ac proinde nondum obligabat omnes. Quomodo ergo Lazarus in typo illius transgressor præfigurabat hominem, qui à culmine iustitiæ, ab honoræque atrocitæ diuinæ in omnem miseriam, ac foetorem malæ opinionis dilapsus est? Cum autem homo cadit à suo honore, à suoque bono nomine; sic cum omnes insultant, in eumque cuncti insurgunt, ac ferocunt, vt non solum imputentur delicta, quæ perpétrauit, sed etiam illa, quæ nec commisit, nec forsitan tunc committere potuit. Vide tom. 3. cap. 26. q. 7. n. 44. & 45.

In delectum etiam crimina, quæ non commisit, inveniuntur.

- Ioan. 11. n. 41. Tulerunt ergo lapidem. Iesus autem eleuatis sursum oculis, dixit, Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me.
- Num. 42. Ego autem sciebam, quia semper me audis, sed propter populum, qui circumstant, dixi, vt credant, quia tu me misisti.

VERSIONES.

- Arabic. n. 41. Tulerunt lapidem illum de loco, in quo erat mortuus positus.
- Pagnin. Lapidem à loco, vbi is, qui mortuus fuerat, erat positus.
- Vatabl. Tulerunt lapidem inde, vbi defunctus erat positus, Iesus autem attollens oculos sursum.
- Syriacus. Et ipse Iesus eleuauit oculos suos sursum, & ait: Pater gratias ago tibi, quod me audieris.
- Tertull. lib. contra Prax. dias. Quod me semper exaudis.
- Syriac. n. 41. Ego verò sciebam me semper à te exauditum iri, sed propter hanc turbam

adstantem hæc dixi: vt credant me à te missum esse.

- Origen. hom. Ego scio Pater, quia semper me exaudis.
- Vatabl. Euth. Vt credant, quod tu me miseris.

EXPOSITIO XII.



VLERVNT ergo lapidem. Tacente iam Martha verbis IESVS. Græci codices addunt, vbi positus erat mortuus. Aperto igitur sepulchro omnes contendebant mortuum videre, eiusque situm notare. Iesus autem eleuatis sursum oculis. Ad Deum Patrem suum omnipotentem, qui in Cælis habitat, & vt hoc exteriori facto se non virtute diabolica, vel magica, sed cælesti, ac diuina facere, quæ facturus erat, significat, vt notatur D. Chryostomus, Euthym. Theophyl. D. Cyrill. Cæsarius in Cate-na Græca, hocque facto exteriori suum interio-rem affectum erga Patrem indicabat; Andreas Cæsar. ait oculos eleuasse in Cælum tanquam in patriam suam, à qua venerat. Pater gratias ago tibi. Christus Dominus verus Deus, & homo, vt Deus Patrem vocat, vt homo gratias agit, & auditur. Vt notat Toletus, Lucas Burgen. Quoniam audisti me. Explicat D. Chryostom. Omnia enim facis, quæ volo. Sic etiam interpretantur Euthym. D. Ambros. lib. 2. de Spiritu sancto cap. 12. Christus ait, quod Pater eum exaudivit semper in om- bus, & nunc præsertim pro suscitando Lazaro, pro quo tacite saltem, ac mentaliter rogauit, vt docent D. Cyrill. Carthusian. D. Thom. D. Bonau. & alij. Aliqui dicunt, quod Christus orauit pro Lazaro, quando infremuit, & turbauit seipsum supra n. 33. Alij vero dicunt, quod licet Christus non orauerit Patrem pro Lazaro, tamen quod desiderium voluntatis eius exaudierit Pater, iuxta illud Psalm. 9. num. 38. Desiderium pauperum exaudivit Dominus, preparationem cordis eorum, audivit auris tua. Euangelista non facit mentio- nem huius orationis, quia non fuit externa, & publica, sed interna, ac mentalis, vt dixi.

181.

Chryost. Euthym. Theophyl. Cyrill. Cæsarius.

Tolet. Luc. Burg. Chryost. August. Ambros. Cyrill. Carthuf. D. Thom. Bonavent.

182.

Euthym.

Hugo.

* * *

QUESTIO

QUESTIO XXI.

Quare Christus hic antequam suscitaret Lazarum dat gratias, quod in alijs miraculis non legitur fecisse?

183. Ratio diff- cultatis.

Matth. 9. Luc. 7.

Ioan. 5. Ioan. 9.

184. Origenes.

Gaudendum potius de spiri- tuali dono, quam tem- porali.

185. Euthym.

Gratitudine virtutum omnia impe- dimenta.

186. Theophyl.

Gratiarum actio sine mo- ra exhibenda.

187. 1. Cor. 11.

Quo inquiri in hac quæst. Primò, cur hic antequam Lazarum suscitaret, dat Christus gratias? Secundò verò cur potius hic dat gratias, quam in alijs miraculis? Et ab hoc secundo inci- pio quæstionem. Alios mortuos suscitavit Chri- stus Dominus, vt filiam Archifynagogi, Matth. 9. num. 23. Filium viduæ Nain, Luc. 7. num. 14. Infirmos curauit, vt Paralyticum Piscinæ, Ioan. 5. n. 8. Cæcos illuminauit, vt illum à natiuitate, Ioan. 9. Et tamen non dicitur quod in his gratias egisset Patri, vt in præsentia.

Ad quod primò respondet Origenes hic: Cre- diderunt, ait, maxime is, qui venet ant, vt tanquam obmortuum, & comploratum, eam, qua casum fratris doleat, consolarentur. Quorum causa fortasse magis, quam eius, cui hæc euenerant, cum ad speluncam mor- tui venisset, oculis sursum erectis dixit: Pater gratias ago tibi, &c. Sic Christus Dominus Lazarum sus- citauit, vt cum eius temporali resurrectione, con- iunctum erat multorum spirituale bonum, qui Christi fidem amplexari sunt, vt dicitur infra num. 45. Multi ergo ex Iudæis, qui venerant ad Mariam, & Martham, & viderant, qua fecit Iesus, crediderunt in eum. Et ideo in hoc opere præcipue Iesus exurgit in gratiarum actionem externam, vt manifestet, quanto plus gaudeat de beneficijs spi- ritualibus à se præstitis, quam de corporalibus à se exhibitis.

Secundò. Et iam ad primam partem quæstio- nis Euthymius: O maximum, ait, ac duplum mira- culum. Non solum qui iam olebat, resurrexit, sed etiam qui obuietus erat, exiit à monumento. Itaque gratiarum actio dispensationis erat iustis, ac opus au- thoris. Antequam Christus hoc magnum miracu- lum faciat, dat gratias Patri. In hoc magno opere multa mirabilia intretuerunt. Mortuus quadri- duanus suscitatur, fetidus ad Christi vocem exur- git, & ligatus pedes in stitis ambulat. Dat ergo gratias Christus, vt per hoc nobis ostendat viam, ad quamlibet grauem difficultatem superandam. Vbi enim gratitudo interuenit, omnia obstacula superantur, nec enim sepulchrum, nec foetor, nec ligamina valent impedire, quominus Lazarus mortuus fetidus è sepulchro resurgat, & ligatus in stitis ambulat.

Tertidò. Theophylactus: Quis autem, ait, orauit sic unquam? Prius enim quam dixisset aliquid, in- quit: Audisti me. Hac faciens omnibus modis osten- debat suam erga Patrem gratitudinem. Nihil ad de- functum adhuc dixerat, nihil extrinsecus adhuc postulauerat, sed solum lapidem ab ostio monu- menti iusserat tolli, & tamen de se iam exaudito dat gratias, adhuc beneficium non erat impensum, nec Lazarus euocatus erat in vitam, & ipse gratias exhibet, vt doceat, quod in re gratitudinis nulla mora sustinenda sit, illa enim est summa gratitu- do, quæ nullo modo differtur, sed citò exhibetur.

Dominus Iesus in qua nocte tradebatur accepit panem, & gratias agens, fregit, & dixit: accipite, & manducate. Sic scribit Paulus 1. Corinth. 11. n. 24. Adhuc cælestis panis Eucharisticus non erat in- stitutus, nondum diuinum mysterium perfectum Sylueira in Euang. Tom. IV.

erat, sed vbi primò panem accepit manibus, statim gratiarum actionem profert; solemnissimos semper exiit, post beneficium acceptum gratias referre, cur quando manus extendit, in eas prorumpit? vt nos doceret, quod non prius ma- num extendamus ad accipiendum donum, quam os aperiat ad illud gratificandum. D. Chryso- stomus homil. 27. Si igitur, ait, & tu cum gratia- rum actione accesseris, nihil is indignum facias. Ac- cedas, gratias agens pro is, quibus frueris.

Simul cum acceptione beneficii sit gratiarum actio.

Chryost.

In illo celebri conuiuio quinque panum ait Ioan. 6. num. 11. Accepit ergo Iesus panes: & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus. Prius Pa- trem gratificatur, vt beneficium à Patre accipiat; per gratitudinis enim viam Patrem demulcet pro nostro documento, vt panes, ac pisces multipli- cet. Caietanus: Ad erudiendum nos, quod futuro- rum petitio, ex præteritorum gratitudine consurgit.

188.

Ioan. 6. Gratitudine comparantur noua benefi- cia. Caietan.

- Ioan. 11. n. 43. Hæc cum dixisset, voce magna clamauit: Lazare veni foras.
- Num. 43. Et statim prodit, qui fuerat mortuus ligatus pedes, & manus in stitis: & facies illius sudario erat ligata: dixit eis Iesus, soluite eum, & sinite abire.

VERSIONES.

- Arabic. n. 43. Et cum dixisset hunc ser- monem, magna voce ex- clamauit: Lazare exi foras
- Syriacus. Clamauit alta voce, Lazare.
- D. Ambros. Et statim exiit defunctus lib. de fide resurr. n. 44. foras de monumento, li- gatus pedes, & manus in- stitis, & facies eius orario colligata erat.
- Arabicus. Et manus eius, & pedes eius erant ligati linteami- nibus.
- Euthymius, Theophyl. Manus, & pedes habens reuinctos fasciis sepul- chralibus, & facies eius sudario erat obuincta.
- Vatablus. Habens reuinctos fasciis funeris.
- Pagninus. Sudario erat circumligata.

EXPOSITIO XIII.



AC cum dixisset. Hoc tempus con- cessit Iesus, vt qui aderant, mor- tuum Lazarum viderent, ac malum eius odorem experirentur. Voce magna clamauit. Poterat Dominus sola sua voluntate, qua cuncta gubernat, Laza- rum suscitare, tamen alta voce vitur, vt omnibus fieret evidens, ipsum esse auctorem miraculi. Mag- na etiam vox denotabat magnam vim, ac poten- tiam, qua Lazarum è morte adducebat in vitam; ac etiam, vt inquit Leontius, Euthymius, ani- mam eius è loco remoto, è limbo nempe Patrum,

189.

Leontius. Euthym.

LLI

ac